

## AUSONE

## TECHNOPAEGNION (164 vers)

T1 PRAEFATIO : AUSONIUS PACATO PROCONSULI  
[Oratio soluta]

T2 AUSONIUS PAULINO SUO  
[Oratio soluta]

T3 VERSUS MONOSYLLABIS ET COEPTI ET FINITI ITA UT A FINE VERSUS...  
v.1 Res hominum fragiles alit et regit et perimit fors  
2 fors dubia aeternurnque labans : quam blanda fovet spes  
3 spes nullo finita aevo : cui terminus est mors  
4 mors avida, inferna mergit caligine quam nox  
5 nox obitura vicem, remeaverit aurea cum lux  
6 lux dono concessa deum, cui praevisus est sol  
7 sol, cui nec furto in Veneris latet armipotens Mars  
8 Mars nullo de patre satus, quem Thraessa colit gens  
9 gens infrena virum, quibus in scelus omne ruit fas  
10 fas hominem mactare sacris : ferus iste loci mos  
11 mos ferus audacis populi, quem nulla tenet lex  
12 lex naturali quam condidit imperio jus  
13 jus genitum pietate hominum, jus certa dei mens  
14 mens, quae caelesti sensu rigat emeritum cor  
15 cor vegetum mundi instar habens, animae vigor et vis :  
16 vis tamen hic nulla est : tantum est jocus et nihili res.

T4 PRAEFATIO MONOSYLLABARUM TANTUM IN FINE POSITARUM  
[Oratio soluta]

T5 v.1 Aemula dis, naturae imitatrix, omniparens ars,  
2 Pacato ut studeat ludus meus, esto operi dux.  
3 Arta, inamoena licet nec congrua carminibus lex,  
4 iudice sub tanto fandi tamen accipiet jus.  
5 Quippe et ridiculis data gloria, ni prohibet fors.

T6 DE MEMBRIS  
v.1 Indicat in pueris septennia prima novus dens,  
2 pubentes annos robustior anticipat vox.  
3 Invicta et ventis et solibus est hominum frons.  
4 Ecdurum nervi cum viscere consociant os.  
5 Palpitat inrequies, vegetum, teres, acre, calens cor,  
6 unde vigent sensus, dominatrix quos vegetat mens,  
7 atque in verba refert modulata lege loquax os.  
8 Quam validum est, hominis quota portio, caeruleum fel !  
9 Quam tenue et molem quantam fert corpoream crus !  
10 Pondere sub quanto nostrum moderatur iter pes !

## DE INCONEXIS

T7 v.1 Saepe in conjugiiis fit noxia, si nimia est, dos.  
 2 Sexus uterque potens, set praevalet inperio mas.  
 3 Qui recte faciet, non qui dominatur, erit rex.  
 4 Vexat amicitias et foedera dissociat lis.  
 5 Incipe, quidquid agas : pro toto est prima operis pars  
 6 Insinuat caelo disque inserit emeritos laus.  
 7 Et disciplinis conferta est et vitiis urbs.  
 8 Urbibus in tutis munitior urbibus est arx.  
 9 Auro magnus honos, auri pretium tamen est aes.  
 10 Longa dies operosa viro, sed temperies nox,  
 11 qua caret Aethiopum plaga, pervigil, inrequies gens,  
 12 semper ubi aeterna vertigine clara manet lux.

## DE DIS

T8 v.1 Sunt et caelicolum monosyllaba. Prima deum Fas,  
 2 quae Themis est Graeis ; post hanc Rea, quae Latiniis Ops ;  
 3 tum Jovis et Consi germanus, Tartareus Dis,  
 4 et soror et conjunx fratris, regina deum, Vis,  
 5 et qui quadrijugo curru pater invehitur Sol,  
 6 quique truces belli motus ciet armipotens Mars,  
 7 quem numquam pietas, numquam bona sollicitat Pax.  
 8 Nec cultor nemorum reticebere, Maenalide Pan,  
 9 nec genius domuum, Larunda progenitus Lar,  
 10 fluminibusque Italis praepollens, sulphureus Nar,  
 11 quaeque pias divum perjuriam, nocticolor Styx,  
 12 velivolique maris constrator, leuconotos Libs,  
 13 et numquam in dubiis hominem bona destituens Spes.

## DE CIBIS

T9 v.1 Nec nostros reticebo cibos, quos priscus habet mos,  
 2 inritamentum quibus additur aequoreum sal.  
 3 Communis pecorique olim cibus atque homini glans,  
 4 ante equidem campis quam spicea suppeteret frux.  
 5 Mox ador atque adoris de polline pultificum far,  
 6 instruxit mensas quo quondam Romulidum plebs.  
 7 Hinc cibus, hinc potus, cum dilueretur aqua puls.  
 8 Est inter fruges morsu piper aequiperans git,  
 9 et Pelusiaco de semine plana, teres lens,  
 10 et duplici defensa putamine quinquegenus nux,  
 11 quodque cibo et potu placitum, labor acer apum, mel :  
 12 naturae liquor iste novae, cui summa natat faex.

## DE HISTORIIS

T10 v.1 Solamen tibi, Phoebe, novum dedit Oebalius flos.  
 2 Flore alio reus est Narcissi morte sacer fons.  
 3 Caedis Adoneae mala gloria fulmineus sus.  
 4 Perjurum Lapitham Junonia ludificat nubs  
 5 ludit et Aeaciden Parnasia Delphicolae sors.  
 6 Thraecium Libycum freta Cimmeriumque secat bos.  
 7 Non sine Hamadryadis fato cadit arborea trabs.  
 8 Quo generata Venus, Saturnia desecuit falx.  
 9 Sicca inter rupes Scythicas stetit alitibus crux,  
 10 unde Prometheo de corpore sanguineus ros

11 adspargit cautes et dira aconita creat cos.  
 12 Ibycus ut periit, index fuit altivolans grus.  
 13 Aeacidae ad tumulum mactata est Andromachae glos.  
 14 Carcere in Argivo Philopoemena lenta adiit mors.  
 15 Tertia opima dedit spoliatus Aremoricus Lars.  
 16 Sera venenato potu abstulit Hannibalem nex.  
 17 Res Asiae quantas leto dedit inmeritas fraus  
 18 ultrix flagravit de rupibus Euboicis fax.  
 19 Stat Jovis ad cyathum, generat quem Dardanius Tros.  
 20 Praepetibus pennis super aera vectus homo Cres.  
 21 Intulit incestam tibi vim, Philomela, ferus Thrax.  
 22 Barbarus est Lydus, pellax Geta, femineus Phryx,  
 23 fallaces Ligures, nullo situs in pretio Car.  
 24 Vellera depectit nemoralia vestifluus Ser.  
 25 Nota in portentis Thebana tricorporibus Sphinx.  
 26 Nota Caledoniis nuribus muliebre secus Strix.

## DE VERE PRIMO

T11 v.1 Annus ab exortu cum floriparum reserat ver,  
 2 cuncta vigent : nemus omne viret, nitet auricomum rus  
 3 et fusura umbras radicitus exigitur stirps.  
 4 Non denso ad terram lapsu glomerata fluit nix.  
 5 Florum spirat odor, Libani ceu montis honor tus.  
 6 Jam pelago volitat mercator vestifluus Ser.

## PER INTERROGATIONEM ET RESPONSIONEM

T12 v.1 Quis subit in poenam capitali iudicio ? Vas.  
 2 Quid si lis fuerit nummaria, quis dabitur ? Praes.  
 3 Quis mirmilloni contenditur ? Aequimanus Thraex.  
 4 Inter virtutes quod nomen Mercurio ? Fur.  
 5 Turibula et paterae, quae tertia vasa deum ? Lanx.  
 6 Cincta mari quaenam tellus creat Hippocratem ? Co.  
 7 Grex magis an regnum Minoida sollicitat ? Grex.  
 8 Quid praeter nubem Phaeacibus inpositum ? Mons.  
 9 Dic cessante cibo somno quis opimior est ? Glis.  
 10 Tergora dic clipeis accommoda quae faciat ? Glus.  
 11 Sponte ablativi casus quis rectus erit ? Spons.  
 12 Quadrupes oscinibus quis jungitur auspiciis ? Mus.  
 13 Quid fluitat pelago, quod non natat in fluvio ? Pix.  
 14 Bissenas partes quis continet aequipares ? As.  
 15 Tertia defuerit si portio, quid reliquum ? Bes.

## DE LTTTERIS MONOSYLLABIS GRAECIS AC LATINIS

T13 v.1 Dux elementorum studiis viget in Latiis A  
 2 et suprema notis adscribitur Argolicis Om.  
 3 Eta quod Aeolidum, quodque e valet, hoc Latiare E.  
 4 Praesto quod E Latium semper breve Dorica vox Eps.  
 5 Hoc tereti argutoque sono negat Attica gens Omc.  
 6 Om quod, et Omc, Graecum compensat Romula vox O.  
 7 Littera sum, Iotae similis vox plena, jubens I.  
 8 Cecropiis ignota notis, ferale sonans Ve.  
 9 Pythagorae bivium, ramis pateo ambiguus Y.  
 10 Vocibus in Graeis numquam ultima conspicio Me.  
 11 Zeta jacens, si surgat, erit nota, quae legitur Ne.  
 12 Maeandrum flexusque vagos imitata vagor Xi.

13 Dividuum Betae monosyllabon Italicum Be.  
 14 Non formam, at vocem Deltae gero Romuleum De.  
 15 Hostilis quae forma jugi est, hanc efficiet Pi.  
 16 Ausonium si Pe scribas, ero Cecropium Pe,  
 17 Et Rho quod Graeco, mutabitur in Latium Pe.  
 18 Malus ut antemnam fert vertice, sic ego sum Te.  
 19 Spiritus hic, flatu tenuissima vivificans, He.  
 20 Haec tribus in Latio tantum addita nominibus, Ke ;  
 21 Praevaluit post quam, Gammae vice functa prius, Ce,  
 22 atque alium pro se titulum replicata dedit Ge.  
 23 Ansis cincta duabus erit cum Iota, leges Gam.  
 24 In Latio numerus denarius, Argolicum Chi  
 25 haec gruis effigies Palamedica porrigitur Phi.  
 26 Coppa fui quondam Boeotia, nunc Latium Qe.  
 27 Furca tricornigera specie paene ultima sum Psi.

## GRAMMATICOMASTIX

T14 v.1 Et logodaedalia ? Stride modo, qui nimium trux  
 2 frivola condemnas : nequam quoque cum pretio est mers !  
 3 Ennius ut memorat, repleat te laetificum gau.  
 4 Livida mens hominum concretum felle coquat pus.  
 5 Dic, quid significant Catalepta Maronis ? In his al  
 6 Celtarum posuit ; sequitur non lucidius tau :  
 7 estne peregrini vox nominis an Latii sil ?  
 8 Et quod germano mixtum male letiferum min ?  
 9 Imperium, litem, venerem cur una notat res ?  
 10 Lintribus in geminis constratus ponto sit an pons ?  
 11 Bucolico saepes dixit Maro, cur Cicero saeps ?  
 12 Vox solita et cunctis notissima, si memores, lac  
 13 cur condemnatur, ratio magis ut faciat lact ?  
 14 An, Libyae ferale malum, sit Romula vox seps ?  
 15 Si bonus est insons contrarius et reus, est sons ?  
 16 Dives opum cur nomen habet Jove de stygio dis ?  
 17 Unde Rudinus ait "divum domus altisonum cael" ?  
 18 Et cujus de more, quod addidit, "endo suam do" ?  
 19 Aut, de fronde loquens, cur dicit " populea fros" ?  
 20 Sed quo progredior ? Quae finis, quis modus et calx ?  
 21 Indulge, Pacate bonus, doctus, facilis vir ;  
 22 totum opus hoc sparsum, crinis velut Antiphilae : pax.